

Didattica della Lingua e della Letteratura latina – A011

III: L'*impia aetas* delle guerre civili

Orazio, *Epodo XVI* (ed. F. Klingner, 1959)

Altera iam teritur bellis ciuibus aetas,

suis et ipsa Roma uiribus ruit.

Quam neque finitimi ualuerunt perdere Marsi

minacis aut Etrusca Porsenae manus

aemula nec uirtus Capuae nec Spartacus acer

5

nouisque rebus infidelis Allobrox,

nec fera caerulea domuit Germania pube

parentibusque abominatus Hannibal:

inpius perdemus deuoti sanguinis aetas

ferisque rursus occupabitur solum;

10

barbarus heu cineres insistet uictor et urbem

eques sonante uerberabit ungula;

quaeque carent uentis et solibus ossa Quirini,

– nefas uidere – dissipabit insolens.

Forte quid expedit communiter aut melior pars,

15

malis carere quaeritis laboribus.

Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum

uelut profugit exsecrata ciuitas

agros atque lares patrios, habitandaque fana

apris reliquit et rapacibus lupis,

20

ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas

Notus uocabit aut proteruos Africus.

Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda

ratem occupare quid moramur alite?

Sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint

25

uadis leuata, ne redire sit nefas;

neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando

Padus Matina lauerit cacumina, in mare seu celsus procurrerit Appenninus nouaque monstra iunxerit libidine	30
mirus amor, iuuet ut tigris subsidere ceruis, adulteretur et columba miluo, credula nec rauos timeant armenta leones ametque salsa leuis hircus aequora.	
Haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis eamus omnis exsecrata ciuitas, aut pars indocili melior grege; mollis et exspes inominata perpremat cubilia.	35
Vos, quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum, Etrusca praeter et uolate litora.	40
Nos manet Oceanus circumuagus: arua beata petamus, arua diuites et insulas, reddit ubi cererem tellus inarata quotannis et inputata floret usque uinea, germinat et numquam fallentis termes oliuae	45
suamque pulla ficus ornat arborem, mella caua manant ex ilice, montibus altis leuis crepante lympha desilit pede.	
Illic iniussae ueniant ad mulctra capellae refertque tenta grex amicus ubera,	50
nec uespertinus circumgemit ursus ouile nec intumescit alta uiperis humus;	
nulla nocent pecori contagia, nullius astri	61
gregem aestuosa torret inpotentia.	62
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis aquosus Eurus arua radat imbris, pinguia nec siccis urantur semina glaebis,	53
utrumque rege temperante caelitum.	55
	56

Non huc Argoo contendit remige pinus
neque inpudica Colchis intulit pedem;
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
laboriosa nec cohors Vlixei. 60

Iuppiter illa piae secreuit litora genti,
ut inquinauit aere tempus aureum,
aere, dehinc ferro durauit saecula, quorum 63
piis secunda uate me datur fuga.